



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XII. Quomodo supernaturalis vocatio ab actibus eorum, qui vocantur
pendere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPVT XII.

Quomodo supernaturalis vocatio ab actibus eorum, qui vocantur, pendere possit.

^{1.} ^{Statu diffi-} ^{cultatis.} Superest dicendum de conatu, seu cooperatio-
ne eius qui vocatur, an sit aliquo modo ne-
cessarius ad primam vocationem, quam qua-
sitionem aliqui confundunt cum illa. An facienti
quod in se est, Deus conferat gratiam, etiam
quo ad primam vocationem, seu excitationem.
Sed immerito, nam sunt quaestiones diuersae, &
ided hanc posteriorem in librum sequentem re-
mittimus, quia cum declaratione sufficientis au-
xilij coniuncta est. In priori ergo puncto aduer-
tendum est sermonem esse posse, aut de conatu
ipsius hominis vocati, quo simul cum Deo in-
fuit in ipsummet actum supernaturalem quo in-
terius excitatur, vel de aliquo conatu prauio, quo
ad illam vocationem tandem perueniatur: de
priori nulla superest difficultas, iam enim supra
definiuimus nostras potentias effectiue concu-
rere ad hos actus excitantes gratiae, quantumuis
supernaturales sint: non possunt autem effectiue
concurrere nisi conatum adhibendo; ergo aliquis
conatus ex parte recipientis necessarius est, ad
primam etiam excitationem diuinam. Hic autem
conatus non potest dici naturalis, nisi fortas-
se improprie, & per denominationem extrinse-
cam, quatenus est ab ipsa potentia, quae est entis
naturalis, in se tamen spectatus supernatura-
lis est, quia est realiter idem cum actu supernatu-
rali, & ipsamet actio, quia talis actus fit à Deo,
principaliter, & à potentia instrumentaliter,
vt loquitur D. Thomas 3. contra gent. cap. 149.
ideoque non est à potentia, vt naturalis est, sed
vt obediencialiter subest motioni diuinæ. Ac
proinde ex tali conatu potentia non minuitur ra-
tio gratiae in tali motione, tum quia non est li-
ber, sed necessarius, tum etiam, quia non est
præuio, sed simultaneus cum influxu Dei. Ne-
que etiam obest supernaturalitati actus, quia tri-
buitur per potentiam obediencialem, vt dixi: po-
tentia autem obediencialis optime potest influere
in actum supernaturalem, vt in lib. 2. explicauimus,
& in his actibus necessarii multo facilius, quam
in liberis intelligitur.

^{2.} ^{Sententia} ^{Molina de} ^{conatu pr-} ^{uio ex parte} ^{hominis ad} ^{hibendo} ^{proponitur.} Difficultas ergo est de conatu prauio, qui inter-
dum ex parte hominis adhibendus est, vel adhibe-
tur, vt tandem naturalem vocationem internam
obteneat, de quo conatu disputant prædicti aucto-
res. Nam Molina dicit posse, & debere hominem
naturalem conatum ad aliquas actiones naturalis
ordinis adhibere, vt per eum non stet, quominus
proximè ad fidem vocetur interius. Huius-
modi sunt conatus, vt diligentia ad audiendam
fidem, & considerandum. Item intentio, vel de-
siderium aliquod inueniendi veritatem, seu veram
religionem, & salutis viam, & similes, nam hæc,
& similia regulariter necessaria sunt ante fidem,
quia Deus se accommodat naturali modo proce-
dendi hominis in acquirenda cogitatione, & me-
rito ab illo postulat diligentiam in his, quæ ex
parte sua cum generali concursu suo efficere po-
test. Illa autem omnia, quæ diximus, talia sunt, vt
per conatum naturalem fieri possint, imperfecto
quidem modo, sufficiente tamen ad illud remo-
tum, & quasi externum initium fidei: nam adire
concionem, & audire illam naturalem quid est, &
necessarium ad acquirendas species, quibus dere-

Vt Suarez de Gratia Pars II.

rebus fidei cogitari possit. Item illa actio in initio
non fit ex motu supernaturali, non enim potest
tale motuum haberi ante perfectum auditum fi-
dei; ergo debet fieri ex motu naturali; ergo actus
& conatu naturali. Idemque consequenter dicen-
dum erit de aliis actionibus voluntarie attenden-
di, cogitandi, desiderandi, imò & petendo agni-
tionem veritatis, seu veram fidem in illa materia:
nam omnes isti actus esse possunt ordinis natura-
lis, quatenus imperfecto, & humano modo pos-
sunt in illa materia versari; ergo vt homo non sit
negligens in sua salute, oportet, vt in his omni-
bus per naturalem conatum faciat, quod potuerit.

^{3.} ^{Displicet} ^{modernis} ^{Theologis} ^{qui in con-} ^{trarium ad-} ^{ducunt loca} ^{Scripturæ} ^{& Patrum.} ^{Regula quæ} ^{dam doctri-} ^{nalis in hoc} ^{matetia.} Hæc verò sententia aliis modernis Theologis
displicet, quia videtur nimium tribui naturæ, &
libero arbitrio operanti ex solo conatu naturali in
ordine ad suam salutem. Nam regula doctrinalis
in hac materia est, nihil omnino posse facere ho-
minem, quod aliquo modo conferat ad salutem
æternam, sine gratia Dei per Christum; iuxta ver-
bum Christi, *sine me nihil potestis facere*, id est, vt
ponderat Augustinus, *neque multum, neque parum,*
neque, magnum, neque paruum, vt multis aliis testi-
moniis in lib. 2. confirmatum est. In illis autem
actionibus, quas enumerauimus, quibus auditor
doctrinæ fidei paulatim tendit ad internam voca-
tionem proximè sufficientem ad voluntatem cre-
dendi multæ sunt actiones valde vtilēs, & regulari-
ter necessariae ad salutem, iuxta ordinarium mo-
dum prouidentiae diuinæ ergo non possumus di-
cere omnes illas fieri solo conatu naturali, neq;
videtur modo loquendi Scripturæ, & conciliorum con-
sentaneum. Minor cum consequentia declaratur.
Nam in primis oportunitas habendi prædicato-
rem Euangelij, gratia Dei tribuenda est, vt probat
exemplum vocationis Pauli ad prædicandum in
Macedoniâ, non in Asia seu Bithynia, Actor 16. Et
sepe docet Augustinus vt videri potest supra Psal.
87. & super Psalm 134. & lib. quinquaginta Homi-
liarum in 23. lib. 1. de peccator merit. & remiss. cap.
22. & q. 2. ad Simplic. & Gregorius 20. Moralium
cap. 18. quia neque potest homo illam occasionem
sibi preparare, neque sine Dei prouidentia pecu-
liari euenire potest. Deinde attendere vt oportet
ad ea quæ prædicantur, gratia Dei est, iuxta illud *Act. 16. 14.*
quod de Lydia purpuraria dicitur Actor. 16. cuius
Dominus aperuit cor, attendere his, quæ dicebantur à Pau-
lo. Item cogitare de eisdem rebus in ordine ad sa-
lutem comprehenditur sub illa regula Pauli 2. ad
Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex no-
bis, quasi ex nobis, vt supra cum Augustino, & aliis
Patribus explicauimus. Denique desiderium, pe-
nitentia, & similis actus si ad fidem aliquo modo con-
ducunt, videntur comprehendere sub regula Con-
cilij Araulicani cap. 6. & 7. Si quis sine gratia Dei
credentibus, volentibus, &c. non autem vt hac omnia, sicut
oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem
sancti Spiritus in nobis fieri conueniunt, resistit Apostolo di-
centi, Quid habes quod non accepisti? Item si quis per natu-
ralem vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, vite
æternæ cogitare posse affirmat sine inspiratione Spiritus san-
cti, heretico fallitur spiritu.

^{4.} ^{Ad eodan-} ^{tionis præ-} ^{remota &} ^{proxima &} ^{interna,} Vt licet hanc aliquo modo componamus, &
rem ipsam sine verborum ambiguitate, vel con-
tentione declarem, distinguamus duplicem vo-
cationem ad fidem, videlicet remotam & proxi-
mam, seu externam, & internam. Remotam voco
illam, quam potest facere homo plantando, & ri-
stinctio du-
gando; proximam vero, quam interius facit ho-
mo, vt homo sit maximè potens ad suam conuer-
sionem, aliqua dixit Gregorius Homil. 33. in Euan-
gelium, loquens de Christo, & Magdalena, *ipse est*
per misericordiam traxit intus, per mansuetudinem suscepit
foras. Et Leo Papa loquens de Stella, & Magist. *serm. interna,*

H 3 i. de

1. de Epiphania, Dedit (inquit) afficientibus intellectum, qui præsinit signum, & quod fecit intelligi fecit requiri, & se inueniendum obtulit requisitus. Et Augustinus de Corrupt. & grat. cap. 6. Corripitur peccator, ut strepitus correptionis foris insonare deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle. Priorem verò vocationem appello remotam, quia per se non sufficit, nec dat auxilium sufficiens, sed quamdam inchoationem, & quasi materialem preparationem ad illam; alteram verò proximam, quia vt dat sufficientem facultatem operandi, & ex illa potest immediate sequi voluntas credendi.

Secundò aduerto has duas vocationes partim conuenire, partim differre. Conueniunt in primis, quòd vtraque sit, vel incipit in nobis ad aliquam illarum proximè cooperantibus liberè: nam vtraque pertinet ad motionem, seu gratiam excitantem, de qua supra ostensum est fieri in nobis sine nostra libera cooperatione. Et de priori quidem patet, quia per illam fit quasi prima apprehensio, vel conceptio rerum fidei, ante quam non potest præcedere voluntas, quæ circa eandem res versetur. Et licet contingere possit, vt aliquis voluntariè accedat ad audiendam fidem, & hac ratione notitia, vel apprehensio inde comparata possit dici liberè acquisita, nihilominus necesse est, vt ante illam voluntatem antecedat prior aliqua apprehensio fidei, seu prædicationis eius saltem inciter, & tunc ab illa apprehensione incipit talis vocatio, & ita semper reducitur ad aliquam primam motionem, quæ in nobis fit sine libertate nostra. De altera verò interna vocatione, id est in superioribus probatum, & patebit magis ex dicendis. Secundò conueniunt quòd vtraque vocatio pertinet ad ordinem gratiæ, & prouidentia supernaturalis. De interna id satis patet ex dictis: de externa verò probatur, quia ordinatur ad internam, quæ supernaturalis est, & originem ducit ex donis gratiæ, quæ ad trahendos, & vocandos homines ad fidem & poenitentiam deus in Ecclesia sua præparauit, & ita est beneficium gratiæ, & prouidentia supernaturalis. Vnde D.

Thom. in 2. d. 28. q. 1. art. 4. ait quodlibet exercitium etiam naturale, quatenus ordinatur à deo ad conuersionem supernaturalem, dici posse gratiam. Denique ex distinctione posita in principio capitis præcedentis id manifestum est. Tertiò conueniunt, quia in vtraque saluatur vera ratio gratiæ, vt significat donum gratuitum, quod non ex operibus datur, quod quidem de prima vocatione externa manifestum est, quia ante illam nihil potest ex parte hominis præcedere, quod ad illam ordinatur, vt ex declaratione proximè data, & ex doctrina Augustini ad Simplician. q. 2. & de bono perseuer. cap. 14. de spirit. & liter. cap. 33. & 34. manifestum est. De posteriori autem probatum est latè superiori lib. cap. 15. & magis ex sequentibus declarabitur.

Differunt autem hæ duæ vocationes in hoc maxime, quòd exterior est in substantia sua naturalis, interior verò supernaturalis. Hoc secundum probatum est in cap. præcedenti. Primum autem indubitatum videtur, quia sicut ex parte ministrorum Ecclesiæ externa prædicationis est in substantialis, vt per se patet, ita ex parte audientis prima illa conceptio & apprehensio naturaliter fit. Vnde sicut de excitatione supernaturali diximus non fieri propriè conatu naturali, sed obedientiali à nostris potentiis, ita prorsus de interna vocatione dicendum est, quia sunt omnino idem. At verò excitatio illa, quæ proximè fit per vocationem externam, per naturalem conatum potentia fit, quia tam actus ipse, quam pro-

ductio eius naturalis est: vt diximus, & eadem ratione voluntas audiendi prædicatorem, quæ interdum antecedit, vt dixi, in substantia sua naturalis est, quia non est voluntas credendi, sed audiendi tantum, quæ in eo statu non potest ex motiuo supernaturali procedere; imò contingeret aliquando vt sit peccaminosa, vt si quis velit audire prædicantem animo irridendi illum, & nihilominus potest deus illam et voluntate postea bene vt ad conuertendum in illam et concionetalem peccatorem. Et sic illa voluntas non fuerit ex gratia, permissio illius potuit esse ex prouidentia gratiæ. Aliquando verò esse potest illa voluntas ex intentione bona discendi veritatem, & tunc erit quidem ex aliqua bona inspiratione dei, nondum tamen supernaturali in substantia, quia motiuum illud generale nondum est supernaturale, & neque includit absolutam credendi voluntatem.

Secundò differunt, quia externa vocatio est simpliciter prima, interna verò comparatione illius est secunda, quamuis in ordine superioris diuina gratiæ supernaturalis simpliciter, & in entitate sua interna vocatio sit prima simpliciter, quia verò vocatio exterior ad internam ordinatur, & per se sola, quasi nihil est, nisi per internam quasi formetur, ideo ex vtraque fieri censetur vna vocatio perfecta, quæ prima gratia auxilians simpliciter vocari solet.

Tertia differentia & notanda est, quòd ante supernaturalem vocationem primam externam nullus actus liber talis incipit ex parte hominis antecedit, qui ad illam per se, vel ex intentione operantis referatur, vt paulo antea satis explicauimus, quia ante illam vocationem nulla cogitatio salutis, vel rerum fidei in mentem subit: sine hac autem cogitatione, non potest subsequi actus liber. At verò possunt aliqui actus liberi ab homine fieri circa materiam talis vocationis, antequam supernaturalem vocationem internam recipiat, quia non semper dat homini deus internam inspirationem supernaturalem in eodem momento, vel tempore in quo homo incipit audire res fidei, sed magna temporis mora inter illam, & alteram vocationem potest haberi intercedere: tum quia de hoc nullam habemus certam legem, aut promissionem dei, sed pendet ex eius libera voluntate, & ita quosdam velocius, quosdam tardius vocat: tum etiam, quia non potest homo subito percipere fidem sibi propositam, & credibilitatem eius, & sæpe necessarium est, errores prius conceptos repellere, & de falsitate illorum aliquo modo conuincere, quod sine mora temporis non fit. Et quamuis possit deus efficacia sua, & abundantia luminis subito mentem illuminare; regulariter tamen loquendo non ita facit, sed hominem humano modo paulatim ducit, prius per homines instruendo, & postea tempore opportuno internam vocationem detrahendo immittendo. Hac ergo ratione sæpe intendere potest homo iam exterius vocatus liberè facere aliquos actus, antequam supernaturalem inspirationem internam recipiat, vt sunt supra numerati, scilicet applicare mentem ad cogitandum, vel meditandum de rebus auditis, aut velle iterum eas audire sicut Athenienses, qui Paulum audierant, licet nondum credidissent, dixerunt Paulus, Audiemus te de hoc iterum, Act. 17. & similes.

Explicantur actus intermedij libertatis vtramque vocationem.

De his ergo actibus medijs inter vtramque vocationem videtur esse controuersia inter dictos auctores.

Distingui
primum
quodlibet
actum scilicet
inordinatum
humanum de
quodlibet
naturae
Reclutatio-
nis prima
pars naturae
est laici co-
munitatis
Probatur.

auctores, nam de vocationibus ipsis, quatenus,
 secundum quidam non liberi, nulla controuersia
 recte inquiri potest, si ea, quæ diximus, attentè con-
 sideremus. De illis autem intermediis actibus
 liberis multa queri possunt. Primum, quo co-
 natu, quibusue fiant viribus. Secundum quan-
 tum ad obtinendam internam vocationem conse-
 rant. Tertium, quæ sint ad illam necessaria. Ex
 quibus primum est, quod præcipuè hic agimus,
 in illoque dicendum in primis est, illos actus esse
 quoad substantiam naturales. Probatur primò,
 quia ante supernaturalem excitationem non po-
 test esse in homine actus liber supernaturalis quoad
 substantiam, vt ex dictis hic, & in libro præce-
 denti constat: sed isti actus antecedunt primam
 excitationem supernaturalem, vt declaratum est;
 ergo non sunt in substantia sua supernaturales; ergo
 naturales. Secundò est simile argumentum,
 quod ante voluntatem credendi supernaturalem,
 & primum actum fidei illi correspondentem, nul-
 lus est in homine actus humanus, ac liber super-
 naturalis ordinis: isti autem actus liberi, de qui-
 bus tractamus, antecedunt fidem infusam, & vo-
 luntatem credendi; ergo sunt ordinis naturalis.
 Tertio è ratio a priori, quia isti actus non habent
 obiecta formalia supernaturalia, quia neque
 obiectum habet supponitur pro illo tempore suffi-
 cienter propoluit, vt in discursu declaratum est,
 neque ante fidem excitatur voluntas ab obiectis
 propriis & formalibus aliarum virtutum infusa-
 rum. Igitur toto illo tempore versatur voluntas
 circa illam materiam, vt subest alicui motui na-
 turali, siue illud speciale sit, quale est cupere, in-
 uenire veram fidem, aut religionem, quod etiam
 ludæi, & Ethnici facere possunt.

Sunt ergo hæc naturalia in substantia sua, & naturali virtute sunt ex propria efficacia physica: nam moraliter necessaria est excitatio prævia, quælicet in se naturalis sit, & naturali conatu fiat, nihilominus gratia est, quatenus ex providentia gratiæ procedit. Vnde simili modo possunt prædicti actus, licet naturales sint, inter dona gratiæ computari, quia neque sunt sine aliquo auxilio gratiæ, neque ipsi erant debiti naturæ, nec concursus, qui ad illos datur est debitus ex vi naturalis providentiæ, sed supposito ordine gratiæ.

Et hoc ad summum probant, quæ in fauorem secundæ sententiæ adduximus : nam licet principaliter procedant de inspiratione diuina, & excitatione supernaturali, quæ datur tanquam proximum auxilium ad actum supernaturalem, & infusum, nihilominus cum proportionem procedunt in his actibus imperfectis, quatenus aliquo modo ad finem vocationis conducunt, nam vt sic ad ordinem gratiæ pertinent secundum quandam modum, & non sunt lineæ aliquo auxilio gratiæ excitantis, nam, vt diximus, illa vocatio præuia, licet ex sensibilibus orta, gratia quædam est, & propter Christum datur. Neque Molina, neque alius ex defensoribus primæ sententiæ excludunt à prædictis actibus hoc genus gratiæ, sed solam illam, quæ ordinis est supernaturalis, vt aperte declarauit Molina disput. 35. in fine, & 36. in principio in Concord. ad artic. 13. & ita in illo primo puncto nulla videtur superesse difficultas.

Notanda circa secundum & tertium dubium pro-
positum supra num. 9.

Circa secundum autem, & tertium punctum, quæ propoſui, quia magis pertinent adlibrum ſequentem, hic pauca breuiter aduertam. Vnum eſt, hos actus liberos qui poſſunt, & ſolent intercedere inter primam excitationem externam, & duobus modis poſſe comparari ad primam excitationem ſupernaturalem, ſeu primum ſalutis auxilium, ſcilicet, vel per modum meriti, ſeu moralis diſpoſitionis, vel remouendo impedimentum, & quali materialiter habilitando ſubiectum. Aliqui ergo Auctores Catholici primum genus cauſalitatis in his actibus reſpectu primæ excitationis ſupernaturalis admittunt. qui in hoc à Semipelagianis diſcrepant, quòd illos actus, & quatenus cauſam rationem meriti, vel diſpoſitionis morales in eis inuentam non tribuunt ſoli libero arbitrio, ſed vt excitato, & adiuto per excitationem illam externam, & cogitationem honeſtam inde conceptam, quæ gratia eſt, cum ſit vltra naturæ debitum, & ex ſupernaturali prouidentia proueniat, etiamſi nondum ſit in ſua entitate ſupernaturalis. Mihi autem hæc ſententia non placet, tum, quia illa gratia non videtur excedere rationem legis, & doctrinæ, & ita neque Semipelagianii illam negantur, tum, quia ante internum, & proximum fidei initium non poſſunt eſſe in homine aliquod meritum doni alicuius ſupernaturalis, aliàs fides ipſa, & initium fidei deſiderat ſub aliquod meritum cadere, quod admittere non eſt, vt libro ſequenti oſtendam. Dico ergo omnes illos actus, eo ipſo quòd neque exiſtunt, neque ex interno auxilio ſupernaturali proſequentur, non eſſe proportionatos ad meritum ſupernaturale in cauſalitate moralem internæ ſanctificationis ſupernaturalis.

Alio ergo modo possunt illi actus aliquo modo

H 4

can

91

II.
Resolutio-
nis tercia
pars necessa-
ria est exci-
tatio prequa
naturalis,
quæ prout
datur ex
providen-
tia gratiæ,
donum gra-
tiæ est.

Ad motiva
secundæ
sententiæ.

Molina.

13.
Duplex ratio
causalitatis in acti-
onibus illis in-
termediis
considerati-
onem habet, per
quodum me-
diū, vel re-
solvendo in
dimentū.
Habet non-
nullis or-
dinationis
doctoris
primū
nunc cau-
satis.

Improbatur à nobis.

*Axioma,
Ante inter-
num & pro-
ximum fi-
dei initium
non potest
esse in ho-
mine ali-
quod meri-
tum doni
superna-
turalis.*

14.

conferre materialiter tantum, & ex parte subiecti remouendo impedimenta vocationis, & acquiriendo dispositionem corporalem, vel habitudinem, quæ minus ineptum reddat hominem ad vocationem. Et primo quidem dum homo se exercet in his actibus, noua cauet peccata, quæ possint vocationem impedire, & ex parte sua excutit torporem, & negligentiam, quæ possit illi ad culpam imputari: deinde si homo sit diligens in recogitatione eorum, quæ audiuit à Prædicatore fidei, fieri potest, vt perueniat ad cognoscendum errorem naturali rationi contrarium, in quo versabatur. Hac enim ratione Prædicatores Euangelij prius solent infideles suorum errorum conuincere, quàm eis supernaturalia mysteria persua-deant, quia deponere errorem, vel nimium affectum ad aliquam sectam, faciliorem reddit fidei introductionem, & saltem remouendo prohibens. Idem ad recipiendam vocationem internam necessaria sunt species intelligibiles, quæ per auditum Euangelij naturaliter acquiruntur, & per eas in principio naturaliter sit aliqua conceptio, & apprehensio imperfecta, & per recogitationem similem melius conseruantur in memoria, quod multum confert, vt postea Spiritus sanctus illis speciebus, & intellectu illis confirmato tanquam instrumento vtatur ad efficiendam internam vocationem supernaturalem. Et declaratur, nam, vt supra dixi, hoc modo ministri Ecclesie per verbum Dei exterius mentes audientium præparant, & aliquo modo disponunt, vt eas postea Spiritus sanctus sua præsentia illustret, vt dixit Gregorius Hom. 17. in Euangelia, quam præparationem significauit Paulus per verbum plantandi, & rigandi, plantare enim dici possunt, quatenus species rerum diuinarum mentibus imprimunt, & ad eas concipiendas manuducunt, rigare verò quatenus ad aliquem affectum excitant: ergo etiam ipse homo potest suo ingenio, & arbitrio ad hanc quasi moralem præparationem cooperari, recogitando, & mentem eleuando, & semine verbi concepto, prout potuerit vtendo.

Idem potest ex parte affectus declarari. Primum quoad remotionem impedimenti: nam affectio naturalis, & humana ad propriam opinionem, vel sectam, vel etiam ad honores, & res corporales nimium impediunt, ita vt neque animus conuenienter applicari possit ad res fidei audiendas, & concipiendas. Igitur si quis vel rationibus humanis inducatur ad tollendum, vel minuendum illum affectum, & ad hoc adhibeat suum conatum naturalem excitatum verbo Dei, aliquid poterit illa diligentia conferre ad vocationem saltem per modum remouentis prohibens. Et licet verum sit similem affectionem, si magna sit, non posse sine auxilio gratiæ superari, potest ad hoc interdum sufficere auxilium ordinis naturalis, quod peculiari etiam modo datur per ipsam vocationem ad fidem licet externam, nam per illam excitantur in homine cogitationes, & affectiones honestæ, quæ licet in illo initio sint imperfectæ, & ordinis naturalis, iuuare possunt ad aliquam contrariam affectionem eiusdem ordinis moderandam, & sic ad tollendum aliqua ex parte impedimentum fidei. Præterea naturalis complexio, vel proprietates ingenij potest ex parte subiecti esse magis accommodata huic vocationi, quàm illi, nam qui habet, v.g. complexionem sanguineam, facilius amore ducitur, alius verò magis timore mouetur: & Deus frequenter suam motionem hominis conditioni accommodat, licet non semper eam proportionem seruet. Et Augustinus de bono perferet. cap. 14. dixit, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter lumen intelligentiæ, quo moueantur ad fi-

dem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant. Sicut ergo naturalis complexio, vel proprietates potest quasi naturaliter ad vocationem conducere, non vt causa, & ratio eius, sed vt à nobis facilius percipiatur, si detur ita aliqua affectio acquisita per actus bonos, potest per illam proportionem, seu temperamentum inducere, vel augere. nam consuetudo imitatur naturam, vnde sicut per prauos actus contrarios prædicationi fidei induratur cor, ita per bonos licet naturales, potest paulatim affici, & materialiter huic, vel illi vocationi magis coaptari, atque hoc modo dixit P. Vasquez. l. p. disp. 93. cap. 4. circa finem non pertinere ad Semipelagianam sententiam concedere dispositionem naturalem ex nobis, aut ex bona indole naturali, non quidem ad gratiam obtinendam, sed vt gratia, & misericordia collata facilius in nobis operetur.

Iudicium auctoris, circa totum statum huius controuersie.

Igitur aliquo ex his modis non repugnat hominem vocatum exterius ad fidem illam et vocationem, & generali concursu Dei ad eam aliquo modo peruenire, quibus vel non sit per illum vocationis interior, neque illi impedimentum ponat, vel etiam fiat materialiter aptior ad vocationem illam recipiendam, vel illi instrumentaliter cooperandum, cum sine aliqua eius efficientia non fiat, vt supra diximus. Estque hoc valde consentaneum conditioni hominis, & ordinario modo prouidentie Dei, qui ab homine cooperationem accommodatam requirit. Et aliunde non dimittitur repugnat gratiæ quatenus gratis danda est, quia & moralis dispositio, (vt dixi) nullum motuum fundare potest. Vnde neque est mortuum, propter quod Spiritus sanctus conferre debeat supernaturalem excitationem, & ideo pro sua libera voluntate interdum excitat obduratum, vel illuminat negligentem, & alium non adeo prauum, vel aliquem bonum affectum habentem non ita præuenit interiùs, vt sequenti libro latius videbimus. Neque etiam hoc genus dispositionis repugnat gratiæ, vt supernaturalis forma, vel motio est, dispositio per se conferens ad illam, sed est quasi tollens impedimentum, vel minuens ineptitudinem & improprietatem subiecti, sicut dicunt Theologi Deum distribuisse Angelis gratiam iuxta proportionem naturalem, non quia naturalis perfectio fuerit motuum dandi gratiam, vel dispositio per se ad illam, sed quia ex parte subiecti erat quasi materialis dispositio, congruitatem, & maiorem quandam habilitatem inducens. nec denique difficultas alia in hoc occurrit, quæ alicuius momenti esse videatur.

Ex quo tandem facile declaratur, quàm sint necessarij isti actus, quibus homo prout potest, primæ externæ vocationi cooperatur, seu illa bene vitur, vt primam excitationem internam, & supernaturalem consequatur; si enim absolute loquamur, & necessitatem hanc per respectum ad potentiam Dei spectemus, clarum est non esse cooperationem liberam hominis, nam si Deus velit, nescit tarda molimina eius gratia, vt Gregorius dixit, potest ergo ad vocem primam Prædicato-ris illuminare mentem, non solum sufficienter, sed etiam efficaciter sicut fecit vocando Matthæum, aut Paulum vel Magdalenam, imò non solum voce, sed etiam aspectu solo potest id facere; vt respiciendo Petrum illum interiùs ad poenitentiam conuertit, & de Magis credibile est

Tertius.

Illustratur
hæc de
na.Gregorius
Magr.15.
Explicatur
illorum
actuum in-
termediarum
causalitas
subiecti
remouendo
alia impedi-
menta ex
parte affe-
ctus.Necnon ex
parte com-
plexionis
naturalis
vel genij.

August.

est visa sensibili stella statim fuisse interius illuminatos. Et cum multis aliis Deum illa liberalitate vi certissimum est: non pro illorum meritis, aut cooperatione, sed iuxta consilium voluntatis, & gratiae suae; ordinariè verò relinquit Deus homines operari per ordinaria media gratiae, quae in Ecclesia sua pro omnibus instituit, & iuxta hanc mensuram, & modum vocationis, & adiutorij quæri potest, quanta sit necessitas illarum actionum liberi arbitrij, quas explicuimus.

In quo breuiter distinguere possumus duos ordines talium actuum, quidam sunt ex natura rei aliquo modo ordinati ad complendam capacitatem hominis respectu supernaturalis excitationis, vt sunt v. g. audire verbum prædicationis, vel illo audito, & non satis intellecto, de illo primò amplius interrogare, vel cogitare, & consequenter velle ad hoc applicare intellectum, & auertere cogitationes impediētes, & similia. Idemque cum proportionem intelligendum est de vocatione ad penitentiam, vel ad perfectionem, aut ad quemlibet alium progressum virtutis. Nam omnes hæc vocationes ordinariè sunt per verbum Dei externum, aut voce prolaturum, aut scripta, aut per alia exteriora signa, vel exempla, quæ mentem excitant, non statim supernaturali excitatione, sed memoriam, & affectum naturali modo mouendo, & ideo non oportet vt homo contemnat illam inchoationem gratiæ, sed illi pro viribus cooperetur, vt altiori gratiæ Dei impedimentum non ponat. Ad hunc ergo modum possumus istum actum esse moraliter necessarij, & suo modo pertinent ad communem gratiæ cursum, vt explicatum est. Alij verò esse possunt actus, non ita per se ordinati ad vteriores, sed qui ex libertate hominis exerceri possunt, & sunt valde affines prioribus actibus, vt sunt desiderium salutis, licet imperfectum per modum velleitatis, petitio eiusdem salutis, vel mediocrium ad illam obtinendam. Et hi quidem actus, si sunt in homine iam fidei, & ex hâc aliquo modo procedant, possunt esse dispositiones morales remotæ, seu imperatoris. Et sine dubio sunt valde viles etiam si contingat non esse in substantia supernaturalis, quia per influxum fidei aliquo modo eleuantur, & ita non fiunt sine auxilio aliquo gratiæ. At verò si tales actus præcedant fidem, & externam vocationem supernaturalem ad illam, tunc non solum necessarij non sunt, sed etiam per se nihil conferunt ad obtinendam gratiam internam Dei, quia sunt improporionati, & nullo modo fundantur in fide; non sunt tamen contemnendi, quia & remouent impedimenta, & aliquo modo afficiunt hominem ad id quod bonum est, & ita relinquunt animum dese magis aptum, saltem phisicè, vt supra explicauimus, vt facilius, & cum minor repugnantia possit ad perfectum fidei affectum supernaturaliter excitari, quod quidem nihil obest rationi gratiæ, cum hoc ipsi ex aliqua gratia procedat, vt declaratum est.

Vltimò ex dictis colligere possumus tres, vel quatuor modos, quibus potest mens nostra excitari ad bene operandum, vel ad cauendum malum, qui omnes à Deo sunt, non tamen pariter, sed secundum eandem rationem. Prima excitatione est merè naturalis, id est, per communem cursum naturalis prouidentiae diuinæ, & causarum secundarum, quam esse posse & congruam, & incongruam, & neutro modo pertinere ad beneficium gratiæ, sed naturæ, maiora, vel minora in libro primo ostensum est. Secundus ordo excitationis est, quæ dantur à Deo ex peculiari prouidentia, & liberalitate in maiori perfectione, vel abundantia, quam per communem cursum causarum secundarum fieri possint, in se tamen naturales sunt, & circa obiecta solum naturalia versantur. Et huiusmodi excitationes reuera sunt gratia, non tamen attingunt intrinsecè (vt dicam) ordinem supernaturalem, & dari possunt solum ad iuuandam naturam in ordine ad honestatem, & finem naturalem, licet de facto semper à Deo ad supernaturalem finem ordinentur. In tertio ordine sunt excitationes quæ immediatè pertinent ad ordinem gratiæ, & prouidentiae supernaturalis; & hæc in duplici differentia esse possunt. Nam quædam sunt motus in sua substantia naturales, quia medijs sensibus in mente naturali virtute excitantur, nihilominus immediatè, & quali intrinsecè pertinent ad ordinem gratiæ ratione materiæ in qua versantur, & quia ex peculiari & supernaturali prouidentia tribuuntur, & præparantur causæ à quibus proueniunt. Aliæ sunt in substantia sua supernaturales, & à Spiritu sancto immediatè mentibus infunduntur tanquam auxilia proxima, & proportionata actibus humanis per se infusis, & in se supernaturalibus. quæ omnia membra ex doctrina huius, & præcedentis capituli declarata manent: visum est autem sub compendio illa sic proponere, quia & ad omnia superius dicta de necessitate gratiæ, & ad distinguendum Semipelagianorum errorem à Catholica doctrina magnam lucem afferre possunt, & quia in libro sequenti ad explicandam sufficientiam gratiæ illorum cognitio erit nobis necessaria.

CAPVT XIII.

Vtrum præter excitantem gratiam sit necessaria gratia adiuuans ab illa distincta.

Hactenus de excitante gratia dictum est nunc ad complendam diuisionem gratiæ in excitantem, & adiuuantem oportet ipsam adiuuantem explicare. Et in primis supponimus ad bene operandum sicut oportet ad salutem necessariam esse gratiam adiuuantem. Primò, quia ex Scriptura sacra id apertè colligitur, nam in illa sapè Deus vocatur adiutor noster Psal. 62. In matutinis meditabor in te, quia fusti adiutor meus. Vnde etiam Augustin. Nisi Deus adiuuet opera nostra, impleri à nobis non possunt. & digna debemus operari. quasi dicat vt opera nostra digna sint, necessarium esse ex Scriptura Dei adiutorium. Vnde etiam est illud Psalm. 53. Ecce enim Deus adiuuat me. vbi August. Omnes Sancti adiuuantur à Deo, sed intus, vbi nemo videt. Item Psalm. 18. Domine adiutor meus, & Redemptor meus. Vbi autem Augustinus, adiutor in bonis, & Redemptor in malis, Adiutor vt habitem in charitate sua, redemptor ab iniquitatibus meis. Et pleraque sunt Scripturæ loca, in quibus vel Deus vocatur adiutor noster, vel nos ab illo petimus vt nos adiuuet, vel constemur sine ipsius adiutorio non posse saluari: adiuuat nos autem Deus per gratiam adiuuantem. Secundò nihil frequentius est in ore omnium fidelium, nihilque sæpius reperit Ecclesia in suis publicis orationibus, quam illud, Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. quod ex Psalm. 69. sumptum est. Item

dum enim cursum prouidentiae naturalis. Secundò per excitationem datam ex peculiari prouidentia. & liberalitate in ordine ad finem naturalem. Tertiò per motus excitantes naturales in ordine ad finem naturalem. Quarta per motus in substantia sua supernaturales.

Limitatur superior doctrina.

19.

Quatuor modi mens nostra excitari potest.

1. Affectio prima. Necessaria est gratia adiuuans ad operandum sicut oportet ad salutem. Probat ex Scriptura, August. & Concilio. Psal. 62. Psal. 53. Psal. 18. Psal. 69.